



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. I. De actionibus voluntariis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

CAP. I.

De actionibus voluntariis.

Ut plenius intelligatur actionem virtutis esse voluntariã, ostende quæ actiones sint voluntariæ?

In quibus concurrunt consilium & libera voluntas. Aliæ enim quæ vi aut imprudentia fiunt, sunt involuntariæ.

Quomodo autem appellantur actiones quæ metu malorum aut honesti causâ fiunt?

Aristoteles definit hujusmodi actiones esse mixtas, sed voluntariis similiores.

Cur verò voluntariis potissimum subiiciuntur?

Quoniam quicquid iudicio geritur, & in nostro arbitrio & potestate situm est, voluntarium dici debet: Actiones quæ fiunt metu malorum, animi iudicio fiunt, & in nostro arbitrio positæ sunt: Ergo voluntariæ.

Exemplo aliquo plenius id ipsum declara?

Si quis juret, ut vitam redimat, se daturum latroni mille aureos: quamquam fecit hoc terrore coactus, revera tamen ex libera voluntate promisit; quia eligit minus damnum ut vitam redimeret, ideoque dicenda est actio voluntaria.

Cur igitur ejusmodi actiones non simpliciter dicuntur voluntariæ?

Quia nemo quicquam eorum per se expetit aut elegit, sed pro ratione temporis, cui sæpe servendum est.

CAP. II.

De actionibus imprudentiæ & ignorantia.